...chimus

Starhetka Stanislai: Syncharma gratulatorium.

I

S
O
gi
M

I

Pl

Pr
Ac
D
In
n

M.

PA

Cycl

Syncharma Gratulatorium
QVOD

Perillustri, Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. IOACHIMO
SPERONIO,

Sac; Th; Doct: & Fundationis Obłancouianæ Ordinario Cursus Theologici Professori, Ecclesiarum Collegiatarum, OMNIVM SS. Præposito, & S. FLORIANI Decano, MARIANO in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi Concionatori, Regalis Contubernij Iagelloniani Prouisori, ac Inclytæ Domus Collegij Maioris Seniori Patri.

Dum sub auspicato Omine, & Nomine

Magnifici, Clarissimi & Excellentissimi Domini,

D. M. FRANCISCI
ROLINSKI,

Philos: & Medicinæ Doct: & Profes: Ordinarij, Consulis, & Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis RECTORIS longè Vigilantissimi.

Pro loco inter S. T. Doctores, in Celeberrimâ Acad: Crac: consequendo, grauissimam Quæst.

DE SATISFACTIONE CHRISTI DOMINI,

In Peraugusto Serenissimi ac Inuictissimi VLADISLAI Iagellonis olim Regis Poloniarum, & Magni Lithuaniæ Ducis Archiatheneo, atq; amplissimi Senatus Academici frequentiâ publicæ velitationi proponeret.

M. STANISLAVS SLACHETKA, *Leopolien: Philosophiæ Doctor, Collega Minor, ac Ordinarius Eloquentiæ Professor, debiti cultus & obseruantiæ ergò*

PATRONO, ET PRÆCEPTORI COLENDISSIMO

Exhibuit.

Cyclo Solis XV. Cyclo Lunæ XXVI. Indictione Romanâ XI. Pharmuthi XV. Hora 12. Epochâ Verbi Incarnati. 1658.

CRACOVIÆ, In Officina Schedeliana.

DAbis veniam Perillustris & Clarissime Dn̄e Doctor, si vastissimo laudū, & Virtutū Tuarū Oceano, pauculas easq; minutas ex meæ Eloquentiæ, & Poëtriæ nō adeò illustris sympulo, guttas affudero. Neq; enim in hac Solenni Actus Tui celebritate, præclara solidæ Pietatis decora in præconium vocabo, neq; insignia egregiè factorum monumenta perstringam dictione, sed illustria tantùm Virtutis Academicæ ornamenta, decumanos labores in Vniuersitate exantlatos, & amplissima merita, quibus sublimes consecutus es honores, summatim recensebo. Ex quo enim generosa Virtus Tua geminam in Philosophiâ nacta est lauream, protinùs excellentem ingenij Tui indolem, non ignauiæ, & otio, sed acrioribus studijs consecrasti. Ingressus Collegium Nouoduorscianum laboriosissimam illam Professoriæ Virtutis orchestram, quantas, quamq; creberrimas sustinuisti difficultates, deuorâsti tædia, labores plusquam Herculeos pacato tolerâsti animo, dum tot Illustrissimorum Iuuenum ingenia feliciter excoluisti. Spectârunt Academiæ nostræ Proceres Tuam indefessam sedulitatem in instituendâ Iuuentute, quam & ad pietatem manu duxisti, & disciplinis expoliuisti, & moribus omni ex parte suauissimis instruxisti: vt labor Tuus honoribus, & præmijs decoraretur, Te ad inclytum DD. Artistarum Collegium promouerunt. Non hîc terminum sibi præfixit Virtus, sed magnis contendens passibus ad consequendum immortale Scientiarum decus, non exhorruit ingentium difficultatum Iliadem, non pertimuit continui Studij Palæstram operosam. Ingressus eras laboriosum Peripatetici Stagiritæ Hippodromum, in quo quidem ita enitebaris, & contendebas, vt numerosissimâ circumfusus Auditorum coronâ, felicissimè Cursibus Tuis Philosophicis imposueris coronidem. Non deflexisti ab orbitâ veritatis, quia insignem Ducem, inconcussum veritatis Magistrum D. THOMAM AQVINATEM Doctorem Angelicum habuisti, ad cuius mentem, velut ad quendam Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controuersiæ in Philosophiâ exortum erat, omnia expendisti. Decurrebas hoc Philosophicum curriculum 6. annorum spatio, quod nunquam alijs VLADISLAVIANIS Professoribus contigerat, in eoq; Triasmos Epicriticos Analegomatum ex Vniuersa Philosophia ad mentem D. THOMÆ Doct: Angelici conformatos, publicæ luci, inter festos tubarum accentus, in frequentissimâ Nobiliss: Hospitum coronâ præbuisti. Offertur laboriosissima Sparta, Decanatus Philosophicæ Facultatis, quem quidem Clarissime Dn̄e Doctor bis nactus, nonmodò cum admiratione omniū exornasti, verùm etiam egregios Artium Candidatos, tanquam Neoptolemos Togatæ Palladis ad stipendia Philosophica conuocasti. Ingrederis Augustum Collegij Maioris Prytaneum, fors omnis quietis & tranquillitatis portum! minimè, tot enim præmissis Eruditionis eximiæ argumentis, mox te grauissimis accinxisti laboribus, Professioni ita inuigilasti, vt non modò Nobilem Iuuentutem Polonam ad penetralia Philosophiæ, linguæ Græcæ notitiam, ad benè beateq; viuendi rationem duceres, sed etiam Ecclesiæ plurimos Mystas, Reipublicæ Ciues, Academiæ Professores, Cænobijs Religiosos subministrares. Tantis in Peripato susceptis laboribus, contulisti Te ad Diuinæ Scientiæ Theologiæ Areopagum, in quo Nobilissimos Tractatus D. THOMÆ, & Petri Lombardi Magistri Sententiarum clarissimè enodasti. Perrexisti ad illam Arcem omnium nationum, lucem orbis terrarum Romanam Vrbem, atq; ibidem Lauream Doctoralem in Eminentissimâ Facultate Theologica magno cum Nationis Italicæ, & Lechicæ applausu obtinuisti. Assumis Nouæ Fundationis Oblancouianæ Cursum Theologicum, quem magno cum Auditorum commodo prælegisti, & nî interrupisset Mars Sueticus incitatum in eo perficiendo cursum, terminum habuisset. Reliqua prætereo laborum argumenta, Conciones in Eccl: Cath: Crac: eruditissimas, Orationes Panegyricas, exquisitâ elaboratas Mineruâ quibus Victorias Regum, funera Principum, Mausolea Antistitum, Mitras Ducales, lemniscatas Senatorum curules celebrasti, versus miro artificio, & vario genere concinnatos; Quæstiones Philosophicas, Theologicas, creberrimas, easq; feruidas in Religiosorum Cænobijs disputationes omitto. Eunt vnicuiq; obuiam insignes Tuæ elucubrationes, magna mentis eruditæ opera, ac vbiq; à magnis animis & ingenijs amplissimas referunt Panegyres. Neq; meum aspernaberis Perillustris Domine beneuoli cordis affectum, dabisq; veniam, si quid inconditum Tuo eruditissimo attulero genio, quandoquidem legimus Metellum Pium, etiam ineruditis Poëtis aures suas præbuisse, qui res à seipso gestas vt cunq; canerent. Accipe igitur Perillustris Dn̄e hoc meum Epinicion Gratulatorium, certissimum vectigalis obseruantiæ, & gratitudinis tributum, meq; continuò in laborioso stationis Academicæ desudantem stadio, singulari gratiâ vnâ cum Perillustr: Admodum Reuer: Clariss: & Excellen: Dn̄is Doct: & Professoribus prosequi non desinas.

Augusta

AVgusta casti pectoris hospita,
Quæ more Matris molliter educas
Mentem tenellam, dum suâui
Lacte foues pietatis almæ
Beata Virtus. Tu gremio tuo,
Sinuq; blando pignus amabile
Complecteris, Scientiarum
Nectare dulce fluens ministras
Embamma, tantis viuidâ mens cibis
Nutrita, sumit robur, & inclytæ
Formæ venustatem stupendam
Gratia conciliat decora.
Tu sola dignos laude vetas mori,
Musis Sacratos sæpè beas polo,
Nomenq; eorum peruetusta.
In monumenta refers perenne.
Fugis profanos monstra velut fera,
A purpuratis pellis honoribus,
Calcasq; pompas bracteatas,
Et placitum popularis auræ.
Abscede vulgus mobile, quid stupes?
Fauete linguis magnanimi Viri:
Quorum caballinis venustus
Labra rigauit Apollo niptris.
In monte Pindi mellea carmina
Audita, vobis non sine gloriâ
Cantabo Musarum Sacerdos,
Et repetam resonante sistro.
Dux laureati Phœbus agematis,
Ab ore talem prompsit adoream:
SPERONII Nomen perennet
Per titulos, memoresq; fastos.
Viuat beatus, cui fauet inclyta
Virtus, & almo cincta choregio
Pallas virenti fronde lauri
Tempora lassa nimis coronat.
Viuat beatus, cuius amabilem,
Suauemq; Suadam luce Scientiæ
Illustrium cætus virorum
Laudibus eximijs adornat.
Hic est mearum lux Aganippidum,
Meiq; Parnassi incola sedulus,
Ascræa cui iam niptra Diuæ
Et latices tribuêre dulces.
SPERONIANÆ facta Poëtriæ
Quis non stupescat? cùm generosior
Descendit in campum Mineruæ
Versibus hic, meliorq; Suadâ
Certabit, amplas sumet aui bonâ
Lauros honoris de manibus Sophûm

Et ſic coronatus ſubibit
Victor ouans Heliconis arces.
Hæc verba fudit laude ſcatentia,
Encomiorum plena Panegyri
Præſente Muſarum coronâ
Aoniæ dominator aulæ.
Albis lapillis hunc numera diem,
Annumq;, quo ſubſellia poſsides
Excelſa Doctorum SPERONI,
Atq; nouum capis inde vinclûm
Coniunctionis: nam ſocios habes
Laborum, Honorum dotibus inclytis
Candoris, Eruditionis
Ingenij, Sophiæq; claros.
Quis non ſereno ſub Ioue dixerit
Natos graues hos Theologos, quibus
Conceſſa ſcandendi facultas
Roſtra Theoſophiæ ſuprema.
Hæc primus ornas delicium Ducum
STANSLAE IVRKOWSKI decus inclytum
Almi Lycæi, lux, & Atlas,
Atq; iubar Charitum venuſtum.
Laborioſæ vitæ Academicæ
Imago, clarum Magni OPATOVII
Exemplar, & prudentiæ flos
O IOACHIME SPERONOWIC, iam
Excelſa ſcandis Theologûm loca:
Scientiarum ſeptus agemate,
Denſâq; virtutum coronâ
Sarmatico radiabis orbi.
Candoris almi ſydus amabile,
Et eruditi fulgida fax chori,
Te doctus ANDREAS KVCHARSKI
Conſequitur ſocius laborum.
Et diſciplinæ gemma Thomiſticæ,
Aquinaticæ buccina gloriæ,
Diuiq; Verbi præco feruens,
Viuaq; Bibliotheca Patrum.
ALBERTVS, agmen, DABROVIVS potens
Sermone dulci claudit: hic acriter
Immunitates, quas IAGELLO
Contulit, has vbiuis tuetur.
Quaternionem tollite laudibus,
Quicunq; Diuæ corda Scientiæ
Litâſtis, en ſublime ſcandit
Exedrium Neo doctor, addet
Numen ſerenos SPERONIO dies,
Clarumq; pandet dogma Thomiſticum,
Tuos labores adiuuabit
ANGELICVS, IOACHIME, DOCTOR.